

Bibliothèque numérique

medic@

**Duverney, Emmanuel-Maurice -
candidat / Boudin, Jean - président. -
Est-ne Pectoris Hydrops Arte Medicâ
sanabilis ?**

1718.

Paris

Cote : ms 2325 n°140



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax04x0140

QUÆSTIO MEDICA,

*Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis
Medicorum, die Martis 22^a Februarii 1718.*

M. JOANNE BOUDIN, Regi à sanctioribus Consiliis,
Serenissimorum Delphini & Delphinæ, dum viverent,
Medico Primario, necnon Regis perpetuo Ordinario,
Scholæ Decanorum Antiquiore, Doctore Medico Pari-
sienfi, Præside.

Est-ne Pectoris Hydrops Arte Medicâ sanabilis?

I.

QUÆLIBET in singulis partibus, vel universo corporis ha-
bitu, aquæ congestio, Hydrops dicitur. Varia tamen, seu à
materiâ morbi, seu à collectionis loco, induit nomina. Hinc, si ma-
teriam attendas, Pituita Anasarcam, lymphæ Ascitem, flatus Tym-
panitem constituit; quæ propterea ab Hippocrate & siccus Hydrops
nuncupatur. Si verò congestionis locum spectes, in capite Hydroce-
phalos, in thoracis cavo Hydrops Pectoris, in scroto Hydrocele vo-
cari solet. Unicuique ex his affectibus sua sunt signa, quibus faciliè
diagnoscitur. Est enim Anasarca, seu Leucophlegmatia, quæ unum &
idem sonant, universa totius corporis intumescencia, in quâ pedes
maximè vesperi & ab exercitatione tument, sæpè enim præsertim ab
initio, manè & inter somnum dissipatus tumor evanescit: Deinde,
neque facies, neque brachia, neque abdomen ipsum, magis quàm
reliquum corpus distenditur; sed molle fit, laxum & pallidum, dis-
solutum, & quasi sine nervis, vel minimo labore frangitur, omnes-
que ejus functiones veluti languent & hebescent. Interim febris lenta,
sed assidua, cum pulsu parvo, crebro & inæquali: urinæ albæ, te-
nues, & omnino crudæ. Ascites est abdominis à quolibet aquoso, vel
seroso humore incrementum, in quo venter sensim impletur, dum
divulsâ laxatâve cute, præter modum intumescat. Interea marcescit
reliquum corpus, urina admodum pauca est, eaque sæpius crassa &
rubicunda. Si premitur tumor, compresso Diaphragmate spiritus
difficilis: si verò manibus in utrumque latus admotis, in alterutram
abdominis moles impellitur, fluctuantis aquæ sensus faciliè percipitur,
& ut plurimum audiri solet: Hinc, hujus morbi qui non unico sensu
se prodit, nullum inter Medicos dubium est. In hoc ferè solo differt

A

ab Ascite Tympanites, quod in eâ propter materiæ, flatûs scilicet, tenuitatem, minor sit abdominis gravitas, licet eadem in utrâque amplitudo: est enim in hac Hydropis specie venter parùm fluctuans, sed rugitu quasi obmurmurat, percussusque ut tympanum tinnit. Rarò quidem hic morbus ægros invadit, sed semper cum periculo. Non etenim flatus in abdominis cavo congesti latent, sed inter musculorum & membranarum fibrillas compressi coercentur, non absimili modo quo Lanii animalium carnes follium ope distendunt, unde aer nullo artificio eruat: Hinc, frustra acu triangulari abdomen à Chirurgo secaretur; unde apertâ solùmmodo unâ vel alterâ vesiculâ, nihil vel parum aeris erumperet. Vix tamen credas ullam fuisse sub abdomine sinceri flatûs congeriem, sine aquæ vel serosi cujuslibet humoris permixtione. Tametsi in maximum discrimen veniunt, ut plurimum, res ægrotum, qui quâlibet Hydropis specie afficiuntur; ne putes tamen ullam illis spem reliquam esse salutis, si præsertim Artis Medicæ peritos nacti sint, qui naturæ modum ingrediantur, consilia, ductum, cursum & intentiones, quibus comites se præstent & adiutores, quidni & ipsam emendare idoneos, si quid peccat, & noxium molitur aut vitiosum. Veram cujusvis Hydropis causam quæris? In promptu est, vasorum nempe seu sanguinem seu lympham deferentium distentio nimia, quâ serum in corporis habitum vel cavitates cogitur. Hanc autem inducit turbata circuitûs facilitas, æquabilitas, perennitas, quâ tardati, hærentes, & minùs subacti liquores in vasis resiliunt, & cuneo quasi facto, in partem aliquam depluentes, longè latèque diffunduntur. Est igitur serosa colluvies Hydropis materies, non causa, quæ in incondito, inæquali ac devio liquidorum circuitu reponi debet. Hinc facillè intelligas omnia hujus morbi symptomata, initia, progressus & finem: Si etenim vel bibendi, vel comedendi licentiâ, quam stimulant mille cupediarum irritamenta, factum est ut præter modum vasa tumeant, tunc exuperans sanguis, succisque gravis, suâ copiâ factus inops & sui impotens, tardabit gradum; unde serum non facto impetu, sed in mille partes divisum, stillatim & sine sensu diffluet. Hæc eadem præstabunt animi pathemata, vigilia nimia, immodicæ exercitationes, liquores spirituosius liberalius exhausti, cibi acres, acuti, ætuoosi, quorum succi pugnaces, tumultuarii, sulphurei, salini, & in fermentationem proclives, mille modis vasorum tunicas laceissent & vellicabunt, quarum corrugationibus pars tenuior, serum scilicet, in partes subjectas faciliùs irruat. Inde fit ut homo mille ægrotudinibus obnoxius vix momento cesset ab incommodis, dum brutorum organa, licet ejusdem artis & industriæ, non minùs composita, nec motuum legibus minùs subjecta, tam rarò à functionibus disjici periclitantur. Hæc præstat solemnis æquè ac universalis impotentia gulæ, dira generis humani carnifex, quæ inter plurimas nocendi artes, duabus in primis sanitatem corrumpit, ingluvie ciborum & delitiis. Hinc nascuntur Hæmorrhagiæ, quibus sæva & lethalia symptomata succedere solent, non minùs periculosa, si ab earundem cessatione se prodant. Hydropis cujusvis originem, ut decet, scrutando, hanc ab evacuatione sanguinis quâdam deficiente

manantem comperies ; unde nullum ex morbis invenias , sanguinis eruptionibus , quâvis ex parte contingant ; obnoxium magis quàm Hydropem. Quæ omnia , cum obvia sint medentibus , palam faciunt quaslibet hujus affectionis species à devio sanguinis aut lymphæ circuitu natas. Succus nempe nutritius suis officiis defunctus , quæ partium rorationis sunt , in fumum ut plurimum expirat. Verùm , quemadmodum halitus illius inconspicui materies , vel per se , vel aëris frigidi occurfu spissescens , paulisper in serum , seu sudorem corporatur ; sic quâvis de causâ stagnans , morata , lentescens , in serum vel pituitam coalescit. Hinc paulatim pluunt tot aquarum imbres , & quæ sub sanitate fuerant madoris fontes , partes singulæ , sub morbo in cataractas solvuntur , feroque exundant. Hinc manat Hydropis cujusvis eluvies , dum scilicet sanguis ipse fero mergitur , quo undequaque perstillant vasa , & universum corporis habitum , vel cavitatem quandam peculiarem aquæ subeunt. Non aliam esse Hydropis sicci causam suspicio est non mediocris. Si etenim succum illum , qui modo in serum liquatur , ultra modum attenuari contigerit ; tunc non vaporosus odor per partium cava exhalabit , sed salacior erumpet & impetuofus spiritus. Tandem ventus erit in cava erumpens , tumens inibi , rarefactus & arietans.

I I.

INTER Herculeos morbos & ferè immedicabiles meritò recensetur Hydrops , cujusvis naturæ sit , qui ægros tot periculis objicit , & quò tandem abeunt cujuslibet classis fuerint morbi. Quantò magis periclitantur qui pectoris Hydrope laborant , in quibus id loci occupat aquæ congestio , ex quo nullo artificio , nullis medicaminum turbis expugnari valeat. Est enim thorax in corpore humano , instar insulæ , cordis , pulmonumque sedes , respirationis organum , ex quâ vel minime læsâ emergenda esse generis omnis symptomata abundè intelligitur. Quid enim incommodi non nasciturum est , si difficilis trahitur spiritus , vitæ autor perennis , & præcipuum sanguinis circuitûs instrumentum ! Brevis futura sunt omnium motuum errata , & quidquid vitii lentescens capiet sanguis , impulsione necessariâ cæteris è sinu suo fluentibus succis impertiet , quandoquidem omnium eadem est series , idem circuitus. Hinc cum sit utraqûe pectoris cavitas quoquoersum occlusa , inferius clausa diaphragmate , costis utrimque obturata , musculis membranisque intûs munita , vixque ullum in se aditum præbeat , quo semel congesta aquæ copia educatur , nihil medentibus propius est , quàm eò omnia Artis tela dirigere , ut imminensem & proximè in thoracem erupturam feri colluviem totis viribus avertant : sive id operis committant Catharticis , & hanc per alvum educant Hydropis materiem ; sive in partem laboris vocentur diuretica , aut sudorifera cæterarum evacuationum loco sufficiantur , quæ per vias urinæ expellendæ , vel sudoribus eruendis dicatas , serum istud devium confestim abducant , & foras eliminent. Attendat igitur Medicus grave quodvis symptoma unâ cum oriente vel potiùs imminente morbo se prodens , & in hoc pugnando naturæ ut quid delinquentis Ministrum se gerat. Id tempestivè factum existimet , si primo , quem adhuc naturæ vis ex-

A ij

hibet, morbi insultu, id medicamenti præstiterit; quod non cum ægrotantis labore & periculo, sed cum euphoria & levamine vim suam exerceat. Insignis igitur sit illius sollicitudo & indefessus labor in investigandis signis quibus periculosi istius affectus primordia dignoscuntur. Enimvero in auspicandâ appositè morborum curatione tota medelæ felicitas sita est; & è contrâ, si inter initia graviter delictum fuerit, damnum inde emergens vix posthac resarcire dabitur. At ista non juniorum & in Arte novitiorum judicia sunt, non agyrtarum aut imperitorum conamina, sed eorum quos docuit morborum usus, firmavitque naturæ meditatio. Videbunt illi nascente, ut ita dicam, morbo, quamnam sint viæ quibus avertatur dum imminet, & restitatur vel minimum læsa functionum integritas. Scrutabuntur in primo ægritudinis puncto, nûm in adscendendo difficilior sit spiritus, & simul ingruant pedum inflationes, intelligentque tunc lentescentis in pulmone humoris culpâ, in inferioribus partibus has committi succorum tarditates. Suffocato enim seu strangulato intrâ pulmones sanguine, & fractâ in hac præcipuâ circuitûs officinâ impulsione vi ad ultimos vasorum fines, succorum reversio sit ignavior, cumulataque tandem in serum cogitur brevi cessurum in Hydropis pectoris materiem. Quid plura addam? omnia morbi tempora suis notanda symptomatis agnoscant. Primis etenim diebus, si feri vel aquæ portiunculæ in vasis mole suâ turgentes, in thoracis cava stillaverint, tunc gemit sub pondere Diaphragma licet minimo, dum pulmones adhuc sui juris, & nullâ feri congerie impediti vires suas faciliè exercent, & ad spiritum seu hauriendum seu expellendum aptissimi officii, sui partes adimplent. Tum ergo proclives & resupini ægrotantes, meliùs auram trahunt, translato scilicet in costas seroso latice, quo Diaphragma gravabatur. Deinde, quibusdam elapsis diebus, auctâque inter pectoris cava serosâ colluvie, pulmones ipsi in aquâ fluctuantes, fluidi crassioris resistantiam vincunt difficiliùs, vixque ad diastolem ampliantur. Inde major spirandi difficultas & dyspœa, in quâ non nisi elato capite spiritum ducunt, & decumbentes quasi suffocantur. Tandem ruente in dies lymphæ stillicidio, aquæ mole jam cumulatâ pulmonis motus coërcetur, nullam ferè æris portiunculam in vesiculas admittens; tuncque videas ægros quasi anhelantes, prono in pedes capite, brachiis pulvino innitentibus, ore aperto, naribus expansis, elatis humeris, aliquid auræ sibi trahere. At si intereâ quæ illa stipatur symptomata virium prostratio eos ad somnum quasi invitos provocaverit; quantum abest ut ista quietis species ipsis sit solamini! Quin immò, quasi submersi & suffocati suscitantur. Inde anxietates, languores, corporis jactationes, cum tussi sicca & inani; cordis palpitatio, pulsus intermit-tens & perturbatus, aliaque hujusmodi signa lethi properantis Prodromi.

I I I.

HYDROPI S Pectoris symptomata graphicè à melioris notæ Scriptoribus depicta, frustra attigeris, nisi ægrotantium salutem, quæ unicus medentium scopus esse debet, tandem consulas. Opus sanè difficillimum & in hoc potissimum affectu, in quo veritatem propius in-

5
tueri negatur, datur tamen odorari. Exindè colligas quantâ curâ sudaturus sis in aucupandis & æmulandis naturæ motibus, aptandisque remediis. Cùm enim debito & recto liquorum circuitu constet tota sanitatis œconomia, morborum nullus est sub quo non acceleretur aut tardescat; quæ, cùm leges sanitatem tueantur, si constant, absentem revocant, si restituantur. Vides igitur Hydropis initio alvum morari, sisti urinas, ficcari salivæ ductus, pulmones sero exundare? Illas ipsas agendi rationes lustrare memineris, quibus natura optima Dux vitæ in regendis ac promovendis hujusmodi secretionibus utitur. Attendas qualis industria usurpanda sit, quâ talis excretio finiendo morbo revoceatur. Sed quorsum, inquires, in istis ordinandis labor vanus, aut inutilis sollicitudo? Tardat alvus? urinæ defunt? purgantia præstò sunt, parataque diuretica. Sed leges addit naturæ conatus, quam in instituendâ eligendâque secretionis viâ interpellare piaculum esset. Ambo vires suas consociare amant Natura & Medicus ipsius æmulus & adiutor; inde pendet Artis felicitas & Artificis honos. Iis in medendo carere, cœcutire est: Hinc videas, licet non frequenter, quosdam Hydrope Pectoris laborantes subito quasi & improvise aquarum lapsu ab orci faucibus, divinitus dicas, ereptos. Iis sola opitulatur Natura, quæ quantumvis oppressa & gravata se se à morbo expedire contendit. Si ergo præmisso istiusmodi effluvio omnia morbi symptomata mitescant, quæ prius graviora incubuere; si jam pulmones spiritum ducunt facilius, & resupini in lecto decumbunt, somnumque captant ægotantes, pedibus interea, cruribus, atque interdum femoribus in immensam molem tumefactis; numquid censeas id solaminis evenire à dissipatâ aquarum congerie, quæ primùm Pectoris cava deferens, in abdomen cecidit, deindeque in partes inferiores diffunditur. Nonne quemadmodum in ascite jam provectâ ex abdomine præter modum distento irrepit nonnunquam serofus humor in thoracis spatium; infertque eadem symptomata, quæ purulentos solent affligere, sic humor sub thorace congestus, in abdomen & partes deinde subjectas ita profundi potest, ut omnis aquarum moles è thoracis cavo eruatur: tunc certè judicabis esse veram istius Hydropis erisen in tantùm fidam & salutarem, in quantum liberalis & copiosa. Hanc verò evacuationem cùm instituat natura, Artis est à remediis vacare, quò se ipsa recolligat, aut in se revertatur. elucteturve, ut ad relictos aut prætermisissos redeat calles: Deinde, num ad purgantium, Emeticorum, Diureticorum, aut Diaphoreticorum turbam confugas eo tempore, quo, exhaustis penè viribus, in extremis languet æger ferè orco deditus? Quantam verò vim inferant in hoc casu purgantia quævis, aut vomitoria, quantos dent Diuretica tumultus, utraque cassâ erunt, dùm rigentibus adhuc fibris viarum exitus occludentur. Sapientis è contrâ erit rerum æstimatoris, naturam tam bene se se gerentem auscultare, potu idoneo & convenientibus alimentis, sanguinem penè accensum ac inflammatum irrorare, somnumque ægotanti conciliare, quo vires reficiantur, resque ad meliorem frugem redeant. Medicum enim naturæ actuarium putes, qui gesta illius sequatur, qui gressus, qui tramites, qui vestigia notet, de suo addendo nihil, nisi quod illa prætermisit aut malè operatur: Illâ igitur inerte, otiosa &

delinquente agat quidquid ageret ipsa, si non opprimeretur & adhuc sui juris esset: Tale est quodcumque præsidii genus, quod aquam in thoracis cavo congestam valet eliminare. Id autem sive Cathartici, sive Diuretici aut Diaphoresi præstes, quid interest: dummodo exmedendi methodo rectè & sapienter institutâ, quas ratio suadet, & quas confirmat usus agendi rationes, consequaris; sed si plurimos Aſcite quantum sævâ & gravi laborantes videre est aptatis remediis ad pristinam sanitatem restitutos, si rectè ordinatâ paracentesi aut scarificatis cruribus omnis abdominis moles subsideat: quidni eandem sortem experiantur Hydropes Pectoris gravati, cujus eadem cûm sit causa, eadem proinde curationis institutio est.

I V.

ASCITEM, quæ à sanguine omnino depauperato & in serum coacto inducitur prorsus immedicabilem esse nemo est qui non intelligat, nisi in Arte medendi omnino imperitus. Arguit enim illa conjunctum hepatis aut lienis scirrhum, vitiumve partis cujusvis indelebile, quâ sanguinis fluiditas foveri debet, circuitusque servari æqualitas. Solidarum nempe partium culpam emendare, humanæ conditionis est; illas prorsus everſas restaurare, divinæ potestatis. Sed numquid inde colligere velis insanabilem esse hujus Hydropis speciem? Nullus est inter morbos quibus obnoxios videas homines etiam levioris armaturæ, qui diutius permanente devio liquorum motu & eorundem confusione, tandem solidis partibus labem non inferat nullis artibus delebilem: nûm ideo judices eos esse immedicabiles? Exemplo sit Febris, morbus humano generi adeo familiaris & usitatus, naturæ conamen quo discordes ab ordine & à circuitu defleſcentes succos in viam debitam referat; Si dùm illos acrius fevit, ut ductiliores & sequaciores fiant, illi tamen non dederantur, non tenuentur, non subigantur; quin immo nimis contusi & conquassati spissescant magis, nonne tandem longâ istâ inordinationis serie liquores in fetosâ colluviem cessuri morbos immedicabiles parient? Febres tamen propterea tanquam insanabilia naturæ delicta judicare, idem esset ac pro veritate exhibere delirantis phantasiæ fœtus. Idem de Pectoris Hydropes æstimandum est, cûm enim diutius perseveravit in thoracis cavis aquæ collectio, & sanguis recto ab itinere defleſcens totus in serum evagatur, tunc fatiscunt partes solidæ, universa obruitur corporis moles, nullamque spem salutis reliquam esse faciliè intelligitur. At initio morbi, dùm scilicet constant adhuc ægrotantis vires, & natura suis vincere & imperare legibus nititur, quanquam vasorum lymphaticorum culpâ in thoracis utrumque latus feri copia diffunditur: ne putes tamen istis non posse opitulari rectè institutam medendi normam. Est enim Ars nostra dives, nec unico remedium apparatu gaudet, copiosis æquè ac juvantibus medicamentorum formulis abundè locupletata. Attende igitur in curando Pectoris Hydropes morbi causam, tempora, occasiones, sexum, ætatem, & legibus naturæ accommodatam medicandi methodum instituas, imprimis naturæ ut quid delinquenti succurre, Catharticis urinam seu sudorem promoventibus medicamentis id præstes, ut recens adhuc feri congeries non augeatur. Dùm jam istis Medicinæ telis novum prohibebitur diluvium, congestæ in thoracis spatio aquæ, non secûs atque suppurans

plevritis, exesâ succingente costas membranâ, affatim in thoracis cavitatem irruit, sic in abdomen pondere suo depluent, unde in inferiores corporis partes, pedes scilicet, crura & femora diffundentur sub vaporis formâ, per occulta partium spiramina exhalandæ. Sin minùs felix sit hâc viâ morbidi humoris exitus, scapello sectis cruribus elimina istiusmodi feri rivulos. Tandem constantibus ac permanentibus sævis adeò morbi symptomatis, gravatoque lymphæ præsentia pulmone, ad Paracentesim veluti ad salutis portam & anchoram confugias. Hanc prosperis ægri rebus operationem non semel instituit Hippocrates, quam, nescio quo fato hujus ævi Medici rarò jubent: vacat etenim periculo, si opportunè præscribitur; quin immò ferè unica morbi curatio est. Veratamen ne acu triangulari cavitas pectoris aperiatur adhærens sæpiùs pleuræ pulmo, cui cæcus pungentis impetus, & inoculata manus lethale vulnus infligeret. Obstat etiam foraminis angustia, quâ commoratum & inspissatum aquæ pondus exitum agrè obtineat. Utrumque præstat Empyema; pulmonem scilicet à vulnere tuetur, & quantumvis morâ spisscescentes aquas è pectoris imo eliminat, sectâ inter tertiam quartamque costam posteriùs cute, incisis musculis, laceratâque plevrâ, adituque in thoracis cavitatem facto, quò feri congeries eruatur. Interim maximâ observatione dignum, nùm unico pectoris lateri aquarum gravitas incumbat, aut ambas cavitates occupet. Latus verò in quo reconditur feri copia hinc nosces, quòd decumbens æger in latus sanum onus sentit pectori incumbere, ex quo spirandi vehemens angustia, tussisque exasperatur: in latus verò ægrum decubitus omnia mitigat, aquâ nimirum in costas recumbente. Quoniam etenim thoracis capacitas Mediastino dirimitur, neque dextri lateris cum sinistro ulla societas est, unicuique aquarum congestioni suus debetur exitus. His potissimum præfidiis curatur thoracis Hydrops nunquam deplorandus, quandiù vigens adhuc natura eluctabitur, constabuntque ægrorum vires. V.

L I C E T igitur eos premat nox, Fabulæque manes, & domus exilis Plutonia qui hoc gravissimo morbo afficiuntur, est tamen utcumque Arte Medicâ sanabile quidquid invehit symptomatum in thoracis cavitatibus collecta aquarum congeries. Sed in usum non venit quotidianum hujusmodi curatio; quin immò in Arte peritissimi curam & operam expostulat, Medicum nempe, ut ita dicam, naturæ notum, hujus assuetum ingenio, mores illius sentientem, ejus æmulum & assecclam. Morbi causam imprimis scrutetur necesse est; & si quid in victûs ratione, aut rerum non naturalium usu peccatum fuerit, sedulus emendare valeat. Insunt etenim singulis morbis diætæ particulares. Ne ergo Diætæ satisfactum credideris jubendo generatim inter medendum, ut victus euechymus ægris exhibeatur: Elige potiùs variis morborum generibus, occasionibus & temporibus, ægrotantium temperamentis, sexui, conditionibus, item constitutionibus aëris regionumque moribus accommodatum atque attemperatum. In thoracis Hydrope qui nostri instituti est, quidquid seu pulmonibus seu Diaphragmati ponderis inducit aquæ copia, vel Catharticis, vel Diureticis, vel Diaphoreticis ejice. At in istis administrandis ordinandisque optimam te partem elegisse arbitreris, si quò natura conatur, eò ducendum sentias. Si namque, fluente urinarum

Copiâ, per renes & vesicam expellenda se prodat morbi materies, hanc institutâ Catharsi, evacuationem avertere piaculum esset, summumque in ægrotantis salutem peccatum. Idem de alvi dejectionibus dicendum est, quæ si cum ægri levamine fiant, totis viribus promovendæ sunt, neglecto Diureticorum agmine. Non enim natura ut se à nocivis liberet succis, plures simul vias aggreditur; unde omne tulit in Arte nostra punctum, qui eam agentem consequitur. Si exesis Diaphragmatis vinculis, feri colluvies in partes inferiores delabatur, ibique morata & inspissata vasorum meatus non subeat, per cutis poros æquè impotens exhalare, sectis seu malleolis sive cruribus femoribusve certum aquis exitum præbeas. At cave ne jam flaccidæ partes ac depauperatæ in sphacelum abeant, sicque incidas in Scyllam cupiens vitare Charybdim. His opitulatur abundè Chirurgia & Pharmacia, quæ ut sunt sedulæ Artis medendi Ministræ, manus auxiliatrices præstare paratæ sunt. Tandem si factò tot rerum periculo, si exploratis quotquot suppeditat tam dives locuplesque medicaminum Officina præfidiis, ægrotantis salus adhuc in angusto sit, dùm illi constant vires non omnino prostratæ, ad celebratam toties ab Hippocrate operationem confugas. » Ad hoc ægri » velut purulenti in sellâ collocandi sunt, & aure ad utrumque latus ad » motâ, si fluctuantis aquæ sonitum auscultaveris, quâ parte strepitum » edet, eâ secari juvat; & quò facilius effluat aqua, quàm poterit, id » fiat infimo loco opportunum est. Hoc præstato aquis exitu, si res benè » succedant, aderit spiritus faciliior, omniaque morbi symptomata mi- » tescent. Si quinto die linamentum in vulnus pro more inflictum pure » jam laudabili obductum exeat, ut plurimum sanescit æger; sin minùs » cùm aquam eduxeris, siti ac tussi corripitur, certò perit & denascitur. « Non igitur illuc ituros censeas, unde negant redire quemquam, quot- quot sunt qui Hydrops pectoris afficiuntur. Hujus etenim morbi, sicut & omnium quibus genus humanum cruciatur, fors est in symptomatum sæ- vitate & Medentis industriâ posita. Crescet periculum, si aliò quàm con- venit, feratur remediorum impetus; ut etenim partes laxari indociles aggredi facinus est, ab iis exitus indebitos extorquere Artis crimen erit. Peccatur namque quoties humores qui deorsum vacuari amant, fur- sum deturbantur, quasi perindè sit, æqualibusque armis decertare pur- gantibus aut Emeticis uti! Idem sit de cæteris præfidiis Medicinæ judi- cium, quæ non nisi ex sapientis naturæ legibus, & periti Artificis con- silio, in usum vocari debent.

Est ergo Pectoris Hydrops Arte Medicâ sanabilis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Jacobus Benignus Voins-
lerv, à Regiâ Scientiarum
Academia.*

M. Joannes Depiney Peschard.

*M. Amandus Douté, Facultatis De-
canus, Regi à Sanctioribus Consiliis,
& Serenissima Biturigum Ducissâ
Medicus Primarius.*

M. Ludovicus Guillet.

M. Philippus Fontaine.

*M. Franciscus Gouel, Academia
Censor.*

*M. Joannes-Baptista Fermelluis,
in Regiâ Artium Acade-
miâ Socius Honorarius.*

M. Antonius Pepin.

*M. Joannes-Baptista Doye, Antiquis
Facultatis Decanus.*

Propenebat Parisiis EMMANUEL-MAURITIUS DUVERNEY, Parisinus,
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1718. A sextâ ad meridiem.

*Libro 2, sect.
5, de Morbis.*